


Digitaliseret af | Digitised by



**DET KGL.
BIBLIOTEK**

Royal Danish Library

Forfatter(e) | Author(s):

Kolding, Jon Jensen.; per Jonam Ioannis
Koldingensem.

Titel | Title:

Coronarium, brevem descriptionem Daniae,
simulque regni situm, et statum continens:
ad ... Christianum IIII ... publica acclamatione
17. calendas Julij, Viburgi Cimbrorum electum
regem ... Anno ... 1584

Udgivet år og sted | Publication time and place:

Slesvigæ : excudebat Nicolaus Wegener, 1584

Fysiske størrelse | Physical extent:

24 s.

DK

Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.





J. Joannis Koldingensis.

CORONARIUM

Slesvig 1584.

32,-28
4°

DA Boks

LN 1004 fot.

ex. 1

DET KONGELIGE BIBLIOTEK



130021589021



Fotograferet 1922 efter Eksp. i Sächsische
Landesbibliothek i Dresden.

CORONARIUM.
BREVEM DESCRIPTIONEM DANIAE, SIMULq; Regni situm, & statum continens: Ad Illustrissimum Principem ac Dominum, D. CHRISTIANVM IIII. DANIAE, NORVAGIAE, SCLAVORVM, GOTTORVM QVE publica acclamatione 17. Calendas Iulij, VIBVRCI CIMBRORVM electum regem; HOLSATIAE QVE ducem &c.

Anno Christiani numeri

1584.

Per

IONAM IOANNIS KOLDINGENSEM: Ecclesiae Dei quae in Andst & Gesten est, in Cimbrica Chersoneso ministrum.

SLESVIGÆ

EXCVDEBAT NICOLAVS
WEGENER.

CID ID LXXXIIII.

Hist. Dan.

2004

Hist. Sept:

H. Jan. 138

11.

PSALM. LXXII.

DEVS IVDICIA TVA REGI
DA: ET IVSTICIAM FILIO
REGIS. AMEN.





Vnum decus inclite Princeps, celsitudini & splendori vestro, imperij DANICI assignatio hodierna pariet: quæ ex magnanimi, benèq; prouidi parentis grauisimo decreto, cum auspiciatissimis omnium ordinum regni amplissimi suffragijs, populiq; comprobantis promptissimo applausu (quod felix ac faustum sit) longè lateq; proclamabitur. Maximam proinde voluptatem ex continuata antiquissimi generis vestri & progenitorum successione haurietis: quod regnum hoc multis retrò seculis, longa vetustæ domus serie ducta, cui, proauiq; vestri possederint: legibus, Iusticia, bonisq; institutis magna felicitate administrauerint. Ad eandem fastigij eminentiam, Celsitudo vestra diuino fauore hodierno die euectetur, auitumq; principatum bono omine consequetur. Quo honoris casu, nihil vestræ fortunæ amplius accedere, nihil sublimius, optabiliusue obuenire potest. Quocirca illustrissimus etiam parens nulla alia ex re, maiorem unquam læticiam percipiet, quam cum adhuc vegetus & sospes, suæ maiestatis insignia in dilectum transferri videat filium. Quin & nos effuso gaudio, ouantes, tanti regis, tanto filio, tantum patere orbis imperium gaudemus: ultroq; paternum offerri dominium congratulamur. Vnde virum Principem te DANIA tua feliciorem arbitremur, an DANIAM te Principe suo beatiorem opinemur ambigitur. In cuius amplissimæ electionis illustrationem, oblatiq; regiminis contemplationem aliquid otij iucundissime impenderimus. Siquidem parum profuerit (ut reor) exterarum gentium moris nosse, & peregrinarum regionum conditiones admirari. vel

exempla quæ ultrà maria sunt, antiquitatum monumentis eruta inquirere, triumphosue aliorum virtute partos pensitare: terræ autem charæ genetricis nostræ naturam, domi nata mirabilia, & beneficia diuinitus nobis accumulata, nostris hominibus nec non varia peracta stratagemata, mille acqvisitas victorias, egregiæq; tentata facinora ociose præterire. Cumq; quis à vulgaribus opinionibus diligentiori trutina ad intentius examen patriæ optimæ animum adiecerit: multas profecto in hac naturæ dotes, fertilitates, abundantiam, & variarum rerum copiam inueniet, quæ quilibet ni natura stupidus sit meritò admirabitur, nunquam verò satis, digneq; laudauerit. Attigit quidem descriptionem huius terræ, in limine diuini sui operis Saxo, summus grammaticus, idemq; historicus & Orator disertissimus: Sed breui admodum, arctatoq; nimis itineris stylo, vt documento tam angusto perfectè quis erudiri nequeat: nisi vel indigena sit, vel alterius sortis quispiam, cui hæc loca peragrarè, oculatoq; testimonio magis instructior, pleniusq; inde experimentum percipere contigerit. Veruntamen speramus si vitam prorogauerit Deus, prodituros qui & geographiam regni, suppedient pleniorè, & regum, heroumq; simulq; populi res præclare, & fortiter gestas, diu tanquam atra nube obductas in lucem prouehant, immortalitatig; perenniter mandent & consecrent. Quamobrem originem & prosapiam vetustissimæ serenissimæ R. M. ipseus inclyta facta, tum rerum bellicarum claritatem, populorum subactiones, prouinciarum accepciones, nobiles triumphos, famosissimæq; gentis DANICÆ fortitudinem, illi magno ore personabunt

2
nabunt, qui & ingenij ubertate, & aureo dicendi flu-
mine polleant. A me vero sermonis penuria, &
votum nixu infœcundiori laborante, pauca admodum
de præfenti, hodiernoque statu regni expectetis. Eaq;
non ut ignota sed singulis bene comperta proferam,
ut eorum admiratione ad perpetuam gratitudinem
erga Deum æternum patrem Domini nostri Iesu
Christi excitemur. Quod omnibus Papisticis te-
nebris expulsis, una nobis DANIS cum paucis
GERMANIAE locis, religio purior & sincer-
ior reliqua sit: Et vox Euangelij incorrupta,
cum Sacramentorum vero usu, magna pietate sonet
in omnibus Ecclesijs nostris. Quod exulanti Eccle-
sia apud nos hospitium, & balcyonia medijs quasi flu-
ctibus clementer prouiderit, salutaresh; doctores in
vineam miserit. Insuper etiam post animæ curam,
corporibus & facultatibus nostris magistratum piissi-
mum & æquissimum suffecerit: Cuius regiam do-
mum radice beata virescentem, indiesq; liberis, opi-
busq; crescentem septena prole sæcundauerit. Ad-
detur præterea quod & Regi optimo sapientissimos
senatores, & prudentissimos consiliarios adiunxerit:
quos cum reliqua nobilitate strenua & forti, neruos
& fulcra Reipublicæ agnoscimus, obedientia & ho-
nore veneramur: Quorum saluberrimis consilijs
& præcellenti virtute, domi, forisq; explorata, po-
litia nostra in vniuersum bene instituta, rapinis, in-
iurijs, stupris, factionibus, furentibus incendijs, bel-
licisq; tumultibus libera: Pace, iustitia, iudicijs, ho-
nestis artibus, alijsq; ornamentis floret. Hæc om-
nia imò plura, penesq; innumera beneficia patriæ no-
stræ dulcissimæ, Deus opt. max. benignè largitus est.
Quæ & gratis mentibus agnoscenda & prædicanda
sunt.

sunt. Hanc igitur dicendi materiam de statu & conditione regni *DANIAE*, præ alijs elegi, utpote electioni regiae cõuenientissimam, quo intelligat omnis hoc regnum cuius habenas moderandas sumetis, non esse minimum virtutis domicilium, sed sacramentissimum pietatis claustrum, atq; Christiani orbis amplissimum propugnaculum. Quod ut nunquam aperto Marte aut vi manifesta hostibus cecidit: Ita dolo vel fraude raro obtentum, breui rursus amissum, damnumq; ingentibus expiatum victorijs. Quapropter optime princeps, principio terram *DANICAM* compendiosè quantum fieri potest, quæ non continuo sibi tractu coheret, sed Insulis quam plurimis in maris corde sitis, hinc *OCEANO*, hinc mari *BALTHICO* interclusa, ab occidente in orientem, miræ longitudinis & latitudinis spacio protenditur. Quarum spaciosissima, & populosissima *IVTHIA* est, historicis Cimbrica Chersonesus antiquiori nomine celeberrima, gentem progenerans validissimam & robustissimam. Ea gemina est, meridionalis & Septentrionalis. Meridionalis Ducatum *SLESVICENSEM*, regno *DANIAE* conterminum complectitur, qui hæreditario iure regibus semper paruit: Atq; interfluxu *ETDORI* fluminis, usq; ad veteres limites à ducatu *HOLSATICO* dirimitur. Ne autem annalium fides laboret, extant, & visuntur etiam nunc eo in loco fossarum & aggerum memorabilia vestigia *DANORVM*, quæ *DANEVVIRCH*, hoc est opus & conamen à *DANIS* confectum nuncuparunt. Idem, agger magno sudore & labore iactus, à mari propè *SLESVICVM* in Oceanum hodierno die latissimè patens, ostentat: reiçq; veritatem compro-

Trell-
dige.

comprobat. Hanc autem plagam australem *OCEAN* profunditate non etiam a finibus nostris abscissam dolendum est. Assidue enim non sine summo incommodo nostro, datis & acceptis cladibus, his partibus quibus *DANIA* absq; nauigijs accedi potest, hostes crebris incursionibus & irruptionibus nos fatigantes, agros depopulantes, prædam & greges abigantes, & latrocinia longè lateq; exercentes experti sumus. Adeo vicinitas nociua est, ubi insatiabilis dominandi, & habendi cupiditas hominum mentes inquietat, finesq; quoquo modo alijs partem subradendo dilatare instigat. Quæ verò ad Septentrionem est, in quatuor sedes Episcopales latissime patentes diuisa est. *RIPENSEM*, *ARHVSIIENSEM*, *AALBVRGENSEM*, celebres omnes maritimas ciuitates, & *VVIBVRGENSEM*, quæ in plano sita mediterranea est. Hic generalis concio Triumvirum nobilissimorum, & sapientissimorum pro causis diiudicandis & dirimendis toto anni spacio necessario continuatur. Huc omnes casus, querelæ, lites, controuersiæ, capitaliumq; causarum animaduersiones deferuntur. Super his sententiæ & iudicia in singulis prouincijs & Nomarchijs prolata. Si modo iniqua videantur, citantur, æquis studijs prependuntur, iusta communi consilio approbantur, Iniustorum vero vota aliorum cadunt.

Qua via in iudices odio, vel muneribus obcæcatis, in iudicando non tam veritatem, quam lucri & personarum respectum habentes, durius animaduertitur, grauiq; multa affectos, pœnas in iustitiæ iustas pendunt, causaq; cum pudore cadunt. Hi Iudices *VVIBVRGICAE* concionis, superiorem agnoscunt neminem, sed eorum sententia immutabilis, tanquam

tanquam ius summum, decretum irreuocabile & sem-
piternum esto. Ni iniuriam quis incusans, ad
regem quando ius dicit, regniq; senatum adfessorem
causam deferendo appellauerit. Atq; hæc iudiciorum
æquitas & sanctio, vt lex lata, seruetur in omnibus
regnis, ducatibus, & prouincijs, quæ huius regis
imperio parent. Sed redeo ad institutum.

Est autem hæc Cimbrica tellus ferarum, boum,
altrix, abundans frumento, fructibus, & omnis ge-
neris piscibus, tam freti marini, quam fluuiatiliū,
quibus uesci potest homo; quorum aliquot species hic
recensere libet, vt inde Dei bonitas, qui diues est in
omnes, innotescat, simulq; Zonæ huius occidentalis
commoditas æstimetur. Notiores igitur apud nos
utriusq; generis sunt, Lucius, Carpio, Cyprinus,
perca maior, porculus siue melanurus, Aloja, Ery-
thrinus, Prasinum, Gobio vulgariter quappium,
thymallus, anguilla, & ceteræ, cuius Latinum non inuenio germa-
nicè æschen, nostra lingua Sterling, Tencha, fun-
dulus, salar, oculata, Item Marini Raia, Cancer,
Tinca, gladius, asellus arefactus, asellus mollis,
solea maior & minor, Lingulaca, Rhombus, halec,
passer, choncha omnis generis, acipenser aliter flu-
rio, prægrandiores etiam beluæ lutra canicula, Ba-
læna, & id genus plura. Quæ omnia hic prosequi
nimis longum foret. Ab occiduo latere huius ter-
ræ, minores, minusq; famosæ Insulæ in OCEANO
plures prospectantur, FANNIA, MANDIA,
RIMMIA, FIORA & nonnullæ aliæ, quæ
omnes nauigijs circumiri possunt. Iuxta quas piscan-
tium turba ancoras figit, & retia abluit. Dici vix
potest quam copiosa piscium præda, ab hac parte per
totum ferè anni cursum capiatur. Vt tam celebra-
rimi

rimi piscarij, emptionis, & commutationis pretium, aliquot auri tonnis aestimetur. *V*sus siquidem incolarum & vicinarum gentium necessitati non modo succurrit: Sed & ad extremas GERMANIAE, aliarumq; regionum remotissimarum oras, magno fruitionis desiderio & voluptate emanat. Versus Septentrionem, MORSAEA, TYIA, LESSOA, & aliae peninsulae se ostentant. Quarum VVENDALA grandior & celebrior est. Quae promontorium adusq; SCAVINICVM nautis metuendum, decem germanicorum miliarium spacio in mare excurrit, & LYMICO sinu à reliquo Cimbrica corpore discriminatur. Hic ubi OTTHO primus, imperator, ab hinc circiter sexcentos quadraginta annos, à Christo autem nato 946. cum exercitu desperabundus substitit. Quippe suis viribus diffidens, ulterius progredi non ausus, indignabundus hastam in undas proiecit. Magna exinde copiarum parte insequentibus DANIS caesa, festinato cursu, incunctanter se in sua recepit. Quod loco sempiternae memoriae nomen OTTHESVNDT in hodiernum usq; diem peperit. Atq; haec in contemplatione CIMBRICAE terrae immorati sumus. Antequam verò hinc aliorum diuertemus, monendus es candide lector, mei instituti non esse, singula loca DANIAE, neq; etiam celebriora omnia inquirere, quod quempiam vel etiam rei Geographicae studiosissimum, assequi posse non crediderim. Praesertim cum unica natio haec IVTORVM, quemadmodum & ceterae quamplurimas praclaras ciuitates, celebres fluuios, commodos portus, scopulos naufragijs frequentioribus infames, templa & fana multa Nomarchias & regias plures, castra nobilitatis.

Medel-
farsundt.

pagos, vicosq; innumerabiles possideat. Ego dun-
taxat breuiter quædam, quæ diuersis in locis notata
digna occurrunt annotabo. Atq; nunc in FIO-
NIA M, orientem versus secundis ventis trajice-
mus, quam cauda terribilis maris BALTHICI
occidua, à superiori tractu non adeo longè distanti,
sed rapidissimo & profundissimo cursu intersecat, un-
diquaq; munit & circumdat. FIONIA idem
vernacula lingua quod pulchrum sonat. Multum
enim naturæ dotibus sæcundata, omniumq; rerum ne-
cessariarum ubertate eminens est: Ideoq; ob soli amæ-
nitatem, & iugera fructuosa nobilibus gratior, fre-
quentissimisq; eorundem castris occupata. Numerantur
autem 127. Episcopatus in hac OTTONIAE ce-
lebris est. Cui fertilissima Insula ad meridiem sita,
ut sunt LALANDIA. patria clarissimi &
Doctissimi viri D. NICOLAI HEMMIN-
GII, optimè de scholis meriti; FALSTRIA,
LANGLANDIA, THOSINGA. Et
alia in sacris ritibus subiacent. Memorabile est, æter-
naq; commemoratione dignum, quod in hac terra OT-
THONIAE cuius supra meminimus. Anno 1580.
singulari Magnificèntia, Triumphus longè omnium
nobilissimus regi nostro peractus sit. Quem non cæ-
de, funestando multas domos, neq; sanguinis innocen-
tis cruenta iactura vindicauit: Sed fide, integritate,
virtute, & iustitia, clarissimum Trophæum sibi
collocari promeruit. Tres ubi potentissimi princi-
pes, HOLSATIAE & atq; SLESVICEN-
SES Duces omnes regio prognati stemmate, regis
acquisitam & clementissimam dominationem perpen-
dentes, se, se, suaq; omnia eius patrocínio & fidei
dedere & obstrinxere. Honorem prioribus quidem re-
gibus

gibus debitum, impenseq; affectatum, sed diu à tempo-
 ribus regis Christophori eius nominis ultimi circiter
 centum quadragintos annos extractum eius maiestati
 concordēs persoluerunt. Percussum est igitur summa
 læticia inter eos fœdus sempiternum ut DANVM
 tanquam iniuriarum vindicem, de bello alijs interfe-
 rendo, siue propulsando consulerent, & subsidia pete-
 rent, Iussi vicissim suppetias mitterent. Quisquis igi-
 tur Holsato hostis declaratus sit, idem Dano inimicus
 esto. Et econtra. Antiquitus hi principatus cis Lu-
 becam portæ Dania dicebantur. Hoc die fortissimis
 repagulis, & adamantinis vinculis confederatione.
 iureiurando, amicitiaq; sempiterna obserata sunt.
 Atqui ubi Dania natura parum munita videbatur,
 hac via ab omni hostili metu tutissima facta sit. Quo
 etiam pacto dum regnum regno copuletur, & natio
 nationi tam suauis & salutari necessitudinis vinculo
 coalescat, magna genti utrinq; viuendi commoditas
 accedat, magna rerum felicitas communicetur. Sed
 ad propositum veniemus. Hæc Insula exinde ad ortum
 Sclandiam mari Balthico cinctam suspicit, quæ alijs
 longè pinguiora & fertiliora rura habet. Patria opi-
 ma ferax, & sacra tellus, absq; annua stercoreatione
 segetes omnis generis proferens. Hæc Saxonis nobi-
 lissimi historici patria est. Dignissima sanè terra, ob
 pietatis promptissimum studium tanta & tam præ-
 stanti prole. Enimvero alia gens, ad stipem schola-
 rum, sacrorumq; munerum usibus erogandam Sclan-
 dica propensior non est. Quod Pontificia dignitas,
 redditibus diues, & religio piorum larga Eleemosyna
 passim florens, præcipue vero collegium quod Roschil-
 dia est abundè testatur. Consentaneum urbem sic
 à Roë rege & fonte iste admirando appellatam,

Roes
 kielde.

Qui ædificiorum loco situs, perennes undarum scatebras
 euomit, quibus quinq; molendinorum rotas sufficien-
 ter ingyrum adigit. Ciuitatis autem celebritatem,
 & antiquitatem multorum diuum delubra, muro-
 rumq; rudera diruta repræsentant. Inibi etiam iuxta
 Musarum dulce conceptaculum sacrarium est, quale
 vix in tota EVROPA reperitur. In quo mul-
 tiſſimorum potentissimorum regum ac principum Busta
 conspiciuntur. Inter quæ nobilissima heroina MAR-
 GARETA, DANIAE, NORVAGIAE,
 & SVECIAE Regina insigni inprimis sepultura
 condecoratur. Hæc Lacesita, & multis iniurijs pro-
 uocata, ALBERTO SVECORVM regi su-
 perbo, coacta manu obuiavit, eiusq; vniuerso exercitus
 obtrito, regem ipsum viuum captum secum abduxit,
 & diadema eius præmij loco obtinuit. Pugnatum est
 in VVestrogothia 21. Septembris 1388. Qua victo-
 ria reportata trium borealium regnorum amplissimo-
 rum dominium adepta, ea firmo societatis nexu con-
 strinxit. A quo si fraudulenta leuitate in factiones
 distracti non recessissent: Sed vnita tria regna consen-
 tienter perdurassent: eorum potentiam nulli reges
 ferre, nulli populi infringere, sustinuissent. Quæ de-
 fectione, postea multorum semper malorum fomes atq;
 incendium fuit. Ad subsolanum in littore orientis
 ciuitas HAFNIA est, regni metropolis, & regia
 splendida, à portu mercatorio & nautico concessu
 commodissimo nomen trahens.

Kiob-
 mendtz-
 hafn.

Hic Academia inclyta est, regis nostri clemen-
 tissimi, optime erga scholas, literatosq; affecti, libe-
 ralitate multum prioribus stipendijs auctior, & locu-
 pletior. Proprijs siquidem impensis centum bonæ
 spei adolescentes seniorum scholæ examini antea sub-
 iectos

iectos identidem alit. Quorum censura solertes ap-
 probantur, ignaui verò tanta regis beneficentia desti-
 tuuntur. Versus Aquilonem HELSINGO-
 RV M est urbs littoralis, nundinis frequentissimis,
 & peregrinarum mercium aduocatione clara. In quam
 multi conueniunt, & magnarij diuersis ex locis confluxe-
 re. Quo etiam conquistissimæ quæq; res incolarum
 vsui inseruiantes apportantur. Ad cuius latus ma-
 ritimum adscita est Arx CORONAEBVRGV M
 castrum munitissimum, & inexpugnabile. Vbi pro
 mercibus ultro, citroq; exportandis, rursumq; inue-
 hendis, aliove transuehendis, si modo secure, quis
 nauigationem institutam absolueret vellet, reddenda erit
 ratio. Qui secus faxit capitale esto. Et bona quan-
 tulacumq; subtracta regio fisco cedant. Velificantes
 igitur, dorsumq; maris hac calcantes, angustas fau-
 ces, quocumq; soluerint, cursumue direxerint intrare
 coguntur; debitumq; portorium velis deductis regio
 quæstori pendere tenentur. Quibus transmissis, mox
 alij onustiores rationem reddituri cateruatim appel-
 lunt. Idq; sanè bono iure quod pro ipsorum salute,
 transituq; securo, regia classis maximis sumptibus
 quotannis instruitur: ratibusq; copie per aquora
 traducuntur, ut quicquid piratarum inuestigetur, ca-
 pitur, cruciq; adiudicatur. Ne sic spoliis aceruo
 & dulcedine allecti, maius in posterum facinus
 tentent, pluresq; immaniter trucident, neue deinceps
 impunitatis spe huius pelagi portibus incautis insi-
 dias fruantes delitent. Ita nauigantibus per sal-
 uum conductum, dimidium integrum, amisso plus to-
 to. Quanquam autem DANIA natura aureas
 venas, & fodinas metallicas quibus gloriatur non
 habeat, ut ARABIAE, HISPANIAE,

VNGARIAE hoc modo conferri possit. Habet
tamen suas amplissimas opes, & reuera hoc loco au-
riferæ est, ut regijs gazis, thesauris, annuisq; rediti-
bus immensis nec Tago nec Pactolo cedat. Nam quic-
quid ab alijs periculose, maximog; cum labore in fodi-
nis quaritur, inuenitur, effoditur, igni excoquitur,
& aqua minerali diutissime lauatur, tandemq; vsui
humano in formas, massasq; diffusum præparatur.
Id cumulatissime in DANIAM portatur, magna
pars subactis pro bonis diuenditis numeratur, maior
regi iusta pensione exoluitur. Opem vicissim contra
piratarum impios ausus implorantibus, promptissime
communicat. Et negotiationibus tutissimum maris
usum recuperando, unicuique terræ suos saluos red-
dit. Laborent igitur alij in fodinis profundissimis,
in vinetis desudent alij, macerent se nonnulli alijs arti-
bus in colligendo auro: Nobis pinguium boum multi-
tudinem, arua, frumentorum copiam agri, pisciumq;
effluentiam Maria subministrant. Quarum re-
rum iusta commutatione, auri copia quantum sufficit
regno importatur. Et societas humana conserua-
tur. Versus septentrionem adiacet arx omnium
Magnificentissima, quam idem rex noster illustrissi-
mus, villa diruta, ab integro in loco omnium amæ-
nissimo, singulari apparatu condidit. Eamq; de suo
nomine FRIDERICIBVRGVN nuncupauit.
Hic ocium, hic solitudo, hic regis gratissimus secessus,
à strepitu urbano turlaq; ciuili procul solutus. Cin-
gitur autem hæc arx aquis, & syluis undiquaq; in
quibus ferarum copie, gratissimæq; venationes se
offerunt. Hic montes, cellis, valles, fontes ir-
rigui, horti cultissimi, loca palustria, & quicquid
plus

plus oblectationis, minus verò tediij, visitur. *Re-*
gis etiam singulare pietatis Zelus hoc loco ostensum,
silentio præterire nefas censuerim. Qui intra su-
perbas arcis portas, iuventuti studiosæ scholam ex-
truxit, Isagogico, indumentis, omnibusq; necessarijs
sempiterno decreto prouidit. Nam amictus, &
cultus corporis omnibus pueris hoc loco sub metu &
cura magistri agentibus par est. Vt non tam mar-
ti bellicum propugnaculum, quam MINERVÆ
sacrum castrum erexisse censeatur. Mirum dictu
est, cum alij canem venaticum videre, atq; alere
malint, plurisq; molossum quam miserum pannusq;
oblitum scholasticum faciant. Neq; verò erga hanc
solummodo scholam beneficus est, sed omnes alias
passim in toto regno suo, literatosq; omnibus modis
fouet, quotidie ipsis de suo addens, eorumq; sortem
in melius permutans. Quinetiam quod maius est
clero, regios agros, ubi, ubi colantur decumanos
esse permittens. Hasce virtutes non ad adulatio-
nem suæ gratiam regis, sed ex meritis ipsius ma-
iestati tribuimus. Restat nunc ut omissa digressi-
uncula hac, è SIALANDIA in SCANI-
AM, demum soluamus. Quæ soli pinguis, &
fertilissima glebæ natura, omnes alias facile supe-
rat. Vt matrem, gloriam, coronamq; relinqua-
rum eam non immeritò quis dixerit. Vnde & à
pulchritudine Schon, nomen sortita est. Archie-
piscopus igitur, suarum rerum benè satagens, elegit
sibi in hac terra, LVNDIÆ sedem. Quod
summus antistes, commodiorem, ac conuenien-
torem magis locum nusquam habere poterat.
Quanta vero vbertate hæc sit, ex pensione decen-
nis belli Suetici, liquet:

Quo

Quo quanto hostibus vicinior, tanto infestius com-
mota, acerbiusq; quassata est. Dubium sanè est
utrum incolæ plus commeatus, pabulorumq; proprio
militi tam pedestri, quam equestri, tanto tempore
impenderint? an hostes limites transgressi plus boni
diripuerint. Hasce difficultates, celebres aliquot
victoriæ *DANORVM* lenierunt: Qui hic impari
licet manu, ad *FALCHENBERGAM* cum
SVECIS congressi Anno 1565. feliciter dimica-
runt. Quo in loco Hostium 6000. fusa, & tor-
menta aenea maiora 48. vi occupata sunt. Siq; noctis
interuentu *SVECI* non euassissent reliqui, omnes ad
unum deleti fuissent. Oratio antè pugnam habita à
nobilissimo & fortissimo duce *DANIELE*
RANTZOVIO, cui uniuerfi *DANICI* ex-
ercitus administratio commissa fuit, tantò notatu di-
gnior, quanto religiosior. O viri, inquit, fortes, pu-
gnabimus hodie paci aduersum multos, promptissimè:
ad certamen acriter properemus, pro patriæ legibus,
libertate, coniugum, liberorumq; dulcissimorum salu-
te cautibus rigidiores stemus, gentiq; nostræ, sempi-
ternam paremus gloriam. A rege siquidem meri-
ta, & præmia honestissima reportemus, à Deo cer-
tam lætamq; victoriam consequamur. Quæ non in
numero militis, sed in fiducia & pietate ergà Deum
sita est. Cuius voto religioso, felicissimus, & pro-
sperrimus actutum euentus respondebat. Sæpe et-
iam alibi, & præcipuè ad *HELMSTADIVM*
oppidum munitissimum victi, & fugati sunt. Vt sic
paulatim viribus elanguescentes, postea apertò Marte
cum nostris non ausi sint manus conferere. Eniscerati
igitur, pacem per legatos, sæpius poscendo, munera
magna pollicendo, pacisq; conditiones quas libet non de-
tractan-

treſcando: belli ancipitem aleam ſubire, periculoſum eſſe comperere. Atqui ERICVS SVECORVM rex potentiſſimus, ſuſcepto hoc bello non neceſſario, fontem omnis mali reperit: quo regnum ſuum multis calamitatibus inuolut, ſeipſum inextricabilibus malis implicuit, tandemq; ſolio deiecit. Miſere demum omni regio honore exutus, imperium ad alium deuenit, retentusq; in vinculis, cum uxore ignobili paulò ante in coniugem ducta, & liberis breui poſt interiecto tempore inibi mœrore abſumptus eſt 1568. Abominabilis faſtus, iniuſtaq; dominationis puniæ, certiffimum iræ Dei teſtimonium: Inconſtantis etiam fortunæ, atq; humanæ imbecillitatis memorabile exemplum. Quanta autem fuerit potentia, vel inde maximè patet, quod ſemel & ſimul cum duobus potentiſſimis regibus, DANIAE, & MVSCOVITARVM principe, ciuitateq; LVBECA excellentiſſima, terra, mariq; bellum longo tempore geſſit: Vimq; & incurſiones eorum proprio & innato fere milite fortiter ſuſtinuit. Nihilominus tam ſubito caſu de potenti ſede truſus, humanæ fragilitatis ſpeculum præbet; In ſuperiorum fidem literas quas fratri è carcere in hunc modum ſcripſit libet attexere. Illuſtriſſimo, & potentiſſimo principi, IOHANNI SVECORVM &c. gubernatori hæreditariæ ſalutem humiliter. Illuſtriſſime & potentiſſimo princeps D. frater: coniectus eſt heri in carcerem, vnicus meus famulus Doct̃or BENEDICTVS, vna cum coquo meo, quorum opera, pro me & liberis meis, in hac miſeria minime carere poſſum. Ni inedia nobis nobis pereundum & contabescendum erit. Rogo propterea vt liberari è carcere, & nobis inferuire liceat. Hoc Deus omnipotens V. C. in hac

vita, & altero seculo omni felicitate recompensabit.
Ego etiam pijs precibus ad Deum demerebor. Datum
HOLMIAE à carcere 6. Octobris 68. Sed in Scania
video. Cæterum hæc natio SCANIA, hinc
HALLANDIA, isthinc BLEKINGIA
extenditur: Veluti duplices rami longissimi à stipite
arboris excreſcunt, quibus ceu geminis pedibus, uno
in orientem SVECIAE confragosos limites calci-
trat: Altero versus septentrionem NORVAGI-
COS præruptos, asperosq; fines attingit. Atq; hæc
ordine ab occidente in orientem progrediendo, potioris
partis DANIAE vera demonstratio est. Quæ
paulo clarius quasi tabella propoſita, per craſſiorem
quandam partium humani corporis ævolutio estendi
potest. Hoc modo: ut Cimbria amplitudine, quanti-
tate, & potentia reliquas præcellens DANICAE
maieſtatis caput adumbret. Fionia pectus & Tho-
racem ordine repræſentet. Quod ex ea multi cor-
dati ſenatores, & fortiſſimi milites ad mutuam rei-
publicæ deſenſionem, tanquam apes ex alvearijs erum-
pant. LALANDIA, FALSTRIA,
LANGLANDIA, Brachia & manus præ ſe
ferant. Quibus velificantes Vandalicis ciuitatibus,
imò toti GERMANIAE multa commoda porri-
gunt. viciffimq; iſſdem bona neceſſaria reportant.
SIALANDIA ventriculi & ſtomachi figuram
referat: Vt enim ſtomachus à reliquis membris nu-
trimentum accipit, concoquit, digerit: quibus operam
abnuentibus & deficientibus deficit, una: Ita SIAL-
LANDIA abſq; aliarum prouinciæ adminicu-
lis, in ſumptibus bellicis faciendis viribus impar, mi-
nusq; ſufficiens eſt. Præſertim cum in ea ſit metro-
polis, armamentarium, & regia claſſis, ad quam
expedi-

expeditè instruendam, opus est stipendio, largo com-
meatu, numerofo milite, plurimūq; nautis: Quos
nauibus imponendos cum reliquo belli apparatu necessa-
rio, hic locus tanquam venter vacuus suscipit: ut
ventriculo hianti, longeq; patenti haud dissimilis sit.
Postremo umbilico, & pedibus *SCANIA* rectè
assimilamus. Vt enim validissimus Gigas robustis
pedibus humi fixis acriter certando, viriliter locum
suum tuetur. Ita tota belli difficillimi moles *SCA-
NIAE* finibus incumbens, ea tamen immota inui-
ctaq; mansit. Quotiens etiam iuuentus nostra con-
tra hostem, in aciem producta in ea dimicatura, vi-
ctoriam obtinuit, æternūq; decus meruit. Reliquæ
insulæ, & nationes hoc tractu semotæ & deuicæ, reg-
no tamen subiacentes, ut sunt *GOTHLANDIA*
terra magna, pinguis & tota pinifera. *BORIN-
HOLMVM*, Vxella & magna *LIVONIAE*
pars, *SAMSONA*, *MONA*, & alia minus fa-
mosæ, ceu viscera, samulantium loco reputentur. Vt
interim *NORVAGIAE*, *ISLANDIAE*,
GRVNLANDIAE *QVE* nullam prorsus
mentionem faciam. Quæ cum à nostro climate,
ultra arcticum circulum protensa, remotissimè lon-
gissimeq; distent: multaq; mirabilia in ijs fidem exce-
dentiā conspiciantur, relinquo alijs doctioribus & peri-
tioribus hunc laborem, qui vel hæc loca ipsimet per-
lustrauere, vel ab alijs de hisce pleniorē cognitionem
perdidicere. Ego vnius *DANIAE* commendatio-
nem primoribus labris illi: strando, maius viribus
opus aggressus: vix umbram rei, ne dum corpus de-
lineasse mihi videor. Magnitudo siquidem, cuiusq;
excellentiā, maiorem Demosthenis eloquentiā laudem
merentur. Adeo, ut quoquo versum oculos, iur-

sum vel deorsum deiecerimus, occurrit, quod admirerur, & merito prædicemus. Cæli temperies non nimio æstu fatigans & exurens corpora, nos reficit, salubritas aeris refocillat, Sylvarum amœnitas delectat, terræ abundantia nutrit, maris affluentia ut penu confertissimum alit: & quicquid carere non possumus, natura nobis minimè inuidit. Porro ut HERCYNIAE saltibus HELVETIA gaudet, alpibus excelsis ITALIA delitescit, Pyrenæi montibus HISPANIA munitur: Ita DANIAE ocium (post Deum) OCEANO & mari BALTHICO tribuimus. Quibus ceu muris validissimis cincti, & fossis profundissimis vallati, mœnibusq; inuijs, tanquam ingenti Lorica circumdati; ab aditu patriæ nostræ dulcissimæ, hostes prohibentur, terrentur, arcentur. Nam quotiens nos infestare audacia præsumperint, prius vela & remos classe instructa & armata dirigant: Qua cum nostris impares se esse præsenferint, sententiam consulto mutant, domiq; se continent. Ast inquietis cum sint ingenijs, vicinis quos absq; nauigijs adire possunt, bella indicunt, belligerantur, cæde & sanguine omnia replent. Interim DANIA dulci pace, tranquillo Reipub: statu, gratoq; ocio perfruuntur. Huius regni amplissimi successor optime princeps, totiusq; regie potestatis particeps, hoc die maiestas vestra declaratur.

Sed cum ardua longeq; difficilis res sit, tantî imperij administratio: quæ humanis viribus sine Deo fœlix esse nequit, ut quam verissimè docent versiculi: Nullius est felix conatus. & utilis unquam, Consilium si non detq; iuuetaq; Deus: Orandus est Deus pater Domini nostri Iesu Christi ardentibus votis, velit
pro

pro immensa sua bonitate hunc electum principem,
ætatis longa Periodo corroborare, successu in studijs
iuuare, sapientia donare, prudentia ornare, felicitate
rerum gerendarum beare, & salutaribus consilijs
instruere. Quo paternis vestigijs & virtutibus
insistens, pari animi moderatione discat iuste impera-
re, subiectis parcere, contumaces debellare, Deumq;
suarum actionum inspectorem & iudicem statuere.
Viuat igitur rex, viuat electus & dilectus princeps.
viuat regina, & regia posteritas. Conserua quæ-
sumus clementissime Deus, hanc regiam familiam,
scholarum & Ecclesiæ sponsæ filij tui nutricem: De-
fende etiam senatum, & regni nobilitatem. Rege
docentes & discantes. Et collige tibi inter nos Ec-
clesiam triumphantem, quæ te cum filio & Spiritu
sancto, meritis celebratura est laudibus in omni æter-
nitate. AMEN.

GENETHLIACON ILLVSTRIS-
SIMI PRINCIPIS, DVCIS IO-
HANNIS. FRIDERICI II.
regis DANIAE Iunio-
ris filij.

REgalem sobolem meum celebret
Carmen Latificis modis: Apollo
Tecum Pierides iube venire
Aptatum benè Barbiton serentes.
Aduentate propitiæ sorores,
Aspirate nouum melos canenti.
Natalem pueri diem euehemus
Æternos benè laudibus per annos.

C 3

Salus

Salve fausta dies notabilis lux:
Incunabula quæ beatiora.
Regis gnato oriens vobis tenello:
O solatia quanta subministras.
Matri dulce ferendo subleuamen,
Claro gaudia magna das parenti.
Optatamq; diu videndo amoris,
Prolem dulciculam simul decoram.
Hatterslebiaca resultat urbe,
Plebs præ læticia fauente cælo.
Luctus flebilis ob necem dolendam,
Defuncti ducis optimi IOHANNIS.
Vix tersus populo madenti ab ore.
Persausse exoriens nouus IOHANNES
Tantis vulneribus medetur vnus.
O bellum puerum, ô venusta pubes,
O pulchram sobolem, ô beata origo.
Regni præsidium, decusq; DANIS.
Fines ancora ad ultimos parentum.
Qui cæli medium tenebit orbem,
Nectei vincula firmiora pacis.
Vt quæ arctè pepigere vota DANIS
HOLSATI maneant perenne sædus.
Tantum pro mutua salute utring;
Vibretur radians potenter ensis.
Cunctis ergò dies voceris alma,
Albo digna notariet lapillo.
Censeris merito sacratior lux
Quæ tantum patriæ paris patronum.
Hac plus purpurei virete flores,
Syluæ frondibus hac comas nouate.
Hac tersas pueri canam per odas.
Hac nymphæ simul ore personabunt,

Celi

*Cœli splendidius micent, & astra
Noctis sydera clariora sunt.
Hac nec fulmine Iupiter coruscans,
Iratius velit esse, & inquietus.
Sed nato bene foscule iuuenco,
Cœlum terra simul velint fauere.*

*IONAS IOANNES
F.*

*IN COMMENTARIOLVM CLA-
RISSIMI VIRI D. IONAE IO-
ANNIS, de rebus DA-
NICIS.*

L Aus quidem regni, mediocris haud est,
Maximos reges habuisse: Longa
Stirpe diductos, proceresq; multos
Marte potentes.
Plurimas vrbes numerare posse,
Turribus, fossis madidæq; cinctas:
Fertiles agros, & amœna prata
Diuite melle.
Hisce donis DANIA ter beata,
Cui nihil natura negauit alma.
Hos tamen soli sibi non honores
Vendicat illa.
Nam gravis GALLVS, simul atq; SCOTVS,
Parthus, HISPANVS, ferus & BRITANNVS
Talibus possunt quoq; gloriari,
Ore superbo.

Sed

*Sed Dei verbum boreale regnum,
Quod fide inuicta tuearis : vsum
Fontis & cœnæ domini reseruas ,
Laus tua sola est.*

*Mater undarum tibi fossa firma
Muniens Cimbro ubi mergitur sol ,
BALThicum salsum reliquos colonos
Ambit ad ortum.*

*Hostium classes scopuli Marini
Fictiles muri ut , reprimunt superbas :
Omnibus Syrtes meliusq; vallant
Turribus altis.*

*Quæ boum tecum numero ferorum &
Piscium ? vel præcipitum ferarum
Terra conferri poterit sub arcto
DANIA dulcis.*

*Ergo laudandus labor est IONAE,
Qui suæ laudes patriæ recenset :
Vt loco gratus reputetur , ipsi
Qui dedit ortum.*

*STEPHANVS SEVERINI
Vvirsensis F.*

